Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dialogorum sacrorum Libri Quatuor

Châteillon, Sébastien

Basileae, 1565

Philosophi

urn:nbn:de:bsz:31-102436

ſit ſurgere conſeſtim, continuoq́; mihi è manibus exciderunt cathenæ. Tum ille: Præcinge te, inquit, & indue ſandalia. Atq; ita feci, iuſſusq́; amicire pallium, & eum ſequi, parebam: cum iam egreſſus, non dum intelligerem rem ueram agi, ſed mihi uiſum cernere uiderer. Et iam prætergreßi primos & ſecundos cuſtodes, uenimus ad portam ferream, qua itur in urbem: quam ultrò nobis patefactam egreßi, proceßimus uicum unum, atque ibi me relinquit ille.) Tum ego, ubi ad me redij, apertè intellexi, eum à Domino miſſum eſſe ad me, ex Herodis manu, & tanta Iudæi populi expectatione, eripiendũ. Hæc uos Iacobo & fratribus nunciabitis. Mihi aliò concedendum eſt.

SENTENTIA.

Deum nulli carceres, nullæ catenæ prohibent, quo minus liberet ſuos. Quos liberare uult Deus, tenere nemo poteſt. (

PHILOSOPHI. *Actor. 17.*

ARGVMENTVM.

Paulus Athenis de Deo & Chriſto, & reſurrectione loquutus: à philoſophis deridetur: à Dionyſio Areopagita admittitur.

Stoici, Epicuræi, Paulus, Dionyſius.

P*Oſſumus'ne ex te ſcire, quæ ſit iſta tam noua doctrina, qua affers? Nam inaudita quædam*

noſtris

noſtris auribus affers, Ieſum, neſcio quem nouum Deum, & alteram uitam prædicans. Hæc qualia ſint, uelimus ex te diſcere. PA. *Video uos omnino, Athenienſes, paulo ſuperſtitioſiores. Nam cum præteriens ueſtra ſpectarem ſacra, aram quoq; offendi, in qua inſcriptum inerat, Ignoto Deo. Eum uobis ego Deum, quem ignorantes colitis, annuncio. Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo conſtant, cum ſit cœli terræq; Dominus, non habitat in templis manufactis: nec hominum manibus colitur, quaſi ulla re egeat, qui ipſe omnibus uitam, ſpiritum, omnia denique conferat: quiq; ductum ex unius ſanguine omne hominum genus, in omni terræ ſolo collocauerit: quibus ſtata uiuendi tempora, certoſq; inhabitandi terminos præfiniuit, ut ſuum Dominum quærerent, ſi fortè perueſtigare & inuenire eum poſſent, cum tamen non procul abſit ab unoquoq; noſtrûm: cum in eo uiuamus, moueamur, & ſimus, ut quidam etiam ueſtrorum poetarum dixerunt: Eius enim genus ſumus. Quòd ſi genus ſumus Dei, non debemus exiſtimare, auro aut argento, aut lapidi arte & induſtria humana cælato, numen eſſe ſimile. Ac nunc, [a] omißis ignorantiæ temporibus, Deus omnibus ubiq; hominibus denunciat, ut uitam corrigant. Statuit enim diem, in quo uniuerſos homines cum ſumma æquitate iudicaturus eſt, per uirum quendam, per quem id facere decreuerat: quem dum*

[a] Veniar commiſ ctenus e re pec omnibu ullo diſ ne ſalut fert, du dò uitã gant.

dum à morte reuocauit, certam eiuſdem conditionis adipiſcendæ ſpem fecit omnibus. E. *Feſtiuum*
ripi dicit. *nugatorem, qui hic nobis homines morti* [b] *eripit.* S. *De hoc ſatis in præſentia: aliàs te de eadem re audiemus.* D. *At ego ita affectus ſum tua oratione, peregrine, ut iam nihil dubitem quin ita ſit: ſtatuiq; à te non diſcedere (ſi tibi moleſtum non eſt) niſi iſta doctrina, quantum ſatis eſt, inſtructus.* PAVL. *Mihi uerò nihil iucundius fieri poteſt, quàm & tecum, & cum omnibus ita animatis ea communicare, quæ diuinitùs edoctus, paßim diuulgare ſum iuſſus.*

SENTENTIA.

Mundana ſapiētia diuinam pro ſtulticia habet. Deus ex ſuis operibus, ſicut opifex, cognoſcitur.

LYSIAS. *Actor. 21.*

ARGVMENTVM.

Comprehenſus in templo Paulus à Iudæis, illis eripitur à Lyſia tribuno, eiusq; permiſſu apud Iudæos cauſam dicit. Sed tumultuantibus, Lyſias cum uirgis cædi iubet. uerùm ubi ciuem Romanum eſſe cognouit, ſoluit.

Iudæi, Lyſias, Paulus, Centurio.

S*Vccurrite, uiri Iſraelitæ. Hic eſt homo ille, qui contra populum, & legem, & locum hunc o-*